

Petrus de Vinea

*Ep. V 112 (In Dei nomine,
amen. Nos, Fridericus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 112 (In Dei nomine,
amen. Nos, Fridericus...)*

1246

Vt capiantur forbanditi, et in curia presententur.

1. In Dei nomine, amen. Nos, Fridericus et cetera, accepta querimonia B. de ..., qui accusauit Cinthium filium Galterii, et Datum, eius fratrem, qui interfecerunt dominum I., abbatem ... monasterii, eorum dominum spiritualem, accusando etiam eos de incendiis, guastis ac dampnis illatis et factis per eosdem eidem, ipsos legitime citari fecimus et peremptorie per notarium R. de eodem loco pluribus uicibus, sicut de citatione constat per instrumenta publica, eiusdem notarii manu facta. 2. Cumque prefati D. et C. non uenissent et diu ultra terminos sibi datos fuerint expectati, considerata inobedientia et contumacia eorum, auctoritate, qua fungimur, eos in personis et rebus duximus exbandendos, si hinc ad decem dies non uenerint, cum de tam criminali excessu coram nobis fuerint accusati, et sic contumaces extiterint, ut dictum est, ita quod quicumque eos a predicta die in antea offenderit, habeatur impunis. 3. Et quod bona ipsorum ad opus imperialis curiae debeant annotari, et quod nulla communitas seu persona alia eos audeat receptare, sub pena eis nostro arbitrio inferenda, donec in eorum contumaciam perseuerant. 4. Datum et cetera, sub anno Domini et cetera, imperante domino Friderico, Dei gratia Romanorum imperatore, Hierusalem et Syciliae rege et cetera.